

erant falsorum Numinum oracula et prodigia, quibus sane duobus *Idololatria* incrementi plus capiebat, quam omnibus Magorum artibus sive veris, sive falsis. Nec demum juvat quidquam adversariis dicere, non quidem vim omnem tentandi ac obsidendi homines, dæmonibus per Christi mortem esse adeptam, sed *Magiæ*, sive potestatem juvandi Magos, operaque stupenda patranda: nam detecto multiplici errore adversariorum, justior hæc veriorque pro nobis conficitur argumentatio: post reparatum genus humanum, diaboli potestas, sive tentandi animas, sive obsidendi corpora, sive persequendi Ecclesiam, sive mundum oraculis fallendi dempta non est penitus et destructa, prout litteratus Marchio Scip. Maffæus una cum Tartarottio fatetur; ergo pari ratione potestas etiam magica tantum coercita fuit, et nullatenus extincta. Id vero ne utiquam inficiamur, multoties intervenire delusionem phantasticam, dæmoni, qui pater mendaciorum est, et ab imposturis δίαβολος dicitur, per quam familiarem ac consentaneam.

§ II.

Quænam opera Angeli facere possint?

42. *Nota.* S. AUG. L. 3. de Trin. c. 9. n. 18. ait: *Quid (angeli) possint per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur; homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod commemorat Apostolus dicens: Alii dijudicatio spirituum.* Quæritur autem hic 1°. Utrum miracula proprie dicta, quæ excedant vires totius naturæ creatæ, ab angelis sive bonis sive malis vi propria effici queant? 2°. An semper facere ea quæ de se possunt, a Deo permittantur? 3°. An et quomodo angeli assumant corpora? De singulis acturi affirmamus duntaxat, quæ vel Scriptura nobis manifestat, vel historia, aut Doctorum communior sensus declarat.

43. *Dico I.* Angeli non possunt patrare miracula proprie dicta.

Prob. Psal. 135. 4. dicitur de Deo: *Qui facit mirabilia solus.* Idem asserit S. AUGUST. L. cit. c. 8. Cf. TOLETUM COMM. in Joann. c. 3. v. 2. annot. 2. Consentit Ecclesia, dum a *veris miraculis* veritatem Catholicæ fidei probare consuevit: quod non posset, si angelis miraculorum potestas competeret. Demum ratio probat, quia omnia, quæ fiunt ab angelis, vires naturæ non excedunt, siquidem fiunt per motum localem, vel per applicationem naturalium activorum; ergo. Possunt tamen facere *mira* seu *mirabilia* respectu nostri; sunt enim rerum naturalium peritissimi, ac præterea robore ac celeritate pollent, quibus habent, ut multa præter morem et consuetudinem mira operari possint, quamvis hæc naturæ vires non superent; patet hoc ex effectibus, qui diabolo et Magis tum in Scriptura, tum in historia profana adscribuntur.

Si ais 1°. cum *Tartarottio*: Si angeli non possint patrare *miracula*; ergo translatio Prophetæ in Babylonem, Philippi in Azotum etc. non viribus angeli, sed ipsi Deo tribui debent; siquidem in utroque *miraculum* intervenerit.

R. N. seq. Quia miraculi necessitatem, illiusque præsentem interventum pro arbitrio potius fingunt, quam probant *Tartarottii* sequaces; sane id non

evincit motus velocitas sive ex parte angelorum, sive ex parte corporum: nam quoad primum divinant Adversarii in determinanda pro libitu velocitatis mensura, et abjecte nimium de scientia perspicacissimorum spirituum sentiunt; quoad secundum vero refutantur a pernicitate orbium celestium, quorum cursus per amplissima spatia regionis supremæ mobilitate multum superat raptum geminum supra cit. per infimas aeris plagas. Quod si demum ex conditione angelorum beata fundamentum pro miraculo quærant; ergo ubicumque spiritus beatos quidpiam egisse legerint, agnoscere miraculum, nihilque ab illis vi congenita actum dicere debebunt.

Si ais 2°. cum *Maffæo*: vis naturalis angelorum non nisi ad *præstigiæ*, ac mentis sensuumque illusiones valet, idque ex communi Patrum judicio; ergo angeli nequidem vere præstant *mirabilia* naturæ, et portentosos effectus.

R. N. A. Tametsi enim angelis non insit a natura potestas, ultra naturæ vires efficiendi quidpiam, et quod propriam miraculi notionem habeat: tametsi magna etiam portio mirabilium dæmonibus adscriptorum fallaciis adnumeranda sit: tametsi artes diabolicæ a SS. Patribus recte vanitatis insimulantur, tum quod ad veritatem *miraculi* nunquam pertigerint, tum quod sæpius eventu caruerint, sive ob dæmonum suos cultores deludentium perfidiam, sive ob supremi Numinis ab aliis exorati voluntatem oppositam; attamen omnia angelorum opera dici præstigiæ atque fallaciæ non possunt, siquidem plura sint vel solerti *artis* industria ad naturam efformata, vel ingenio naturæ tarditatem juvante in lucem producta, plura, quæ sive ob suam insolentiam, sive ob scientiæ nostræ defectum aut ignorantiam, mira ac portenta recte censentur, nec tamen præstigiæ sunt, aut miracula proprie dicta: quis enim angelicis mentibus neget artium naturæque arcana penitus inspecta, aut rerum causas, combinationes, habitudines etc. perfecte cognitatas, vires humanis majores, celeritatem actionis nullatenus impeditam, ac certitudinem ab experimentis plurimis enatam?

44. *Dico II.* Angeli nil possunt, quo mutatur ordo vel lex Universi: imo nec omnia, quæ de se possunt, facere permittuntur.

Prob. 1°. p. S. CHRYSOST. in ep. ad Hebr. c. 2. ad hæc Pauli verba, *non enim angelis subjecit Deus orbem terræ futurum*, commentans ait: *hinc ergo qui erat futurus, non subjecit angelis, sed Christo*, Ita THEOPHYL. et S. THOMAS ibid. proin non possunt angeli caelos aut siderum motus sistere, aut eorum cursum retroagere.

Prob. 2°. p. Quia sapientissima Dei gubernatio non sinit, quilibet pro libitu angelos præsertim malos efficere; hinc juxta S. AUG. de Trin. L. 3. c. 9. n. 18. Dæmones cyniphes producere non poterant. Possunt tamen *ordinariè* ventos excitare, fulgura, tonitrua, grandines, imbres, tempestates et similia meteora ciere, aerem inficere, vel purificare etc.

45. *Dico III.* Angeli possunt assumere corpora.

Prob. Angeli tum boni, tum mali sæpissime apparuerunt in *figura corporæ* et visibili; ergo possunt vel ex aere aliave materia efformare simulacrum, vel etiam corpus verum, scilicet humanum cadaver aut belluinum corpus induere; certum siquidem est, hujusmodi apparitiones omnes non esse

tantum imaginarias, et turbata phantasia effici. Uniuntur autem his corporibus, et quidem angeli boni de novo formati, mali autem etiam aliis: non *formative*, quod implicat: non *hypostatice*, cum id quoque vel repugnet, vel pro honore Mysteriorum Incarnationis non permittatur: non *inhæsiue*, quod est contra naturam substantiæ: sed faciunt cum assumpto corpore unum respectue, quatenus ita uniuntur corpori, ut illud non tantum moveant, sed in eo etiam suam personam proprietates vel actiones aliquo modo repræsentent: ita D. THOM. q. 6. de Miraculis a. 7. ad 1.

§ III.

Quid possint angeli in animas et corpora hominum?

46. *Nota.* Posse angelos movere et transferre corpora, dictum hactenus; quid præterea in homines valeant, ac quidem in triplici genere vitæ: quid circa animam hominis corpori conjunctam; possintne hominem mutare in bestiam, et vicissim; an defunctorum animæ ad nos opæ dæmonis evocari possint? restat explicandum: ait quippe S. GREG. M. mortuorum animas posse, et nonnunquam etiam divina virtute ac potentia, atque singulari consilio et voluntate Dei apparere, idque fidei Catholice scitis, et veræ germanæque Philosophiæ placitis consentaneum est. Idem sentit D. AUG. L. de cura pro mort. c. 16. et B. Felicem Nol. Episc. Nolanis, dum a barbaris vehementer oppugnarentur, apparuisse et subvenisse affirmat; quæritur autem, an id etiam opæ dæmonis fieri possit?

47. *Dico I.* Angeli in genere vitæ vegetativæ possunt 1º. Corpus nutrire et augere, nutritionem impedire, et efficere ut vivens nullo cibo ad tempus aliquod sumpto vivat: 2º. Morbos mortemque conciliare, aut sanitatem restituere ac mortem differre: 3º. Assumpto semine idoneo et in uterum transmissio perfectum animal generare.

Prob. 1º. Quia idoneum pabulum dare vel subducere possunt, vim nutritivam sublatis vel appositis impedimentis vegetiorem vel debiliorem reddere, fermenti acrimoniam famis excitatricem inhibere, et pabulum illi ex humoribus tenacioribus e corpore collectis diuturnum præbere, quo fit, ut plura etiam animalia, item ægroti diu in ediam ferant.

Prob. 2º. Quia possunt temperiem corporis tum locali humorum transumptione invertere, tum adhibitis principiis corruptivis depravare; ex intemperie autem ejusmodi morbus, ex morbo mors oritur, ut patet ex Luc. 9. 39. et Marc. 9. 17. E contrario autem, si arte medica humores noxii possint educi, et activa insignia adhiberi, multo magis angeli rerum naturalium peritissimi his mediis sanitatem restituere mortemque ad tempus arcere poterunt.

Prob. 3º. Ita constare ait S. AUG. L. 15. de Civit. c. 23. n. 1. ut negare impudentiæ esse videatur.

48. *Dico II.* Angeli in genere vitæ sensitivæ possunt 1º. In appetitu sensitivo voluptatem vel dolorem causare, motus carnis excitare vel reprimere,

iram provocare vel sedare, memoriam juvare vel hebetare, sensuumque internorum et externorum operationes varie afficere: 2º. Deludere sensus externos, maxime visum, et indirecte etiam phantasiam: 3º. Perfecte imitari voces et hominum et brutorum.

Prob. 1º. Quia hæc naturaliter eveniunt mutato objecto vel medio, aut ex motu spirituum, ac humorum temperie, variaque constitutione, quæ omnia ab angelis fieri posse, ex dictis constat.

Prob. 2º. Quia potest mutare objectum per celeriore agitationem, occultationem aut substitutionem, item mutare medium, ac denique ipsum organum, prout dictum de humoribus.

Prob. 3º. Quia hæc voces oriuntur ex certa aeris vibratione, nec facultatem angeli superant, qua ratione S. CYRILL. Glaphyr. in Gen. L. 1. (Opp. t. 1. p. 6.) dæmonem in serpente locutum Evæ existimat.

49. *Dico III.* Angeli in genere vitæ rationalis possunt 1º. Ingenii vim acuere, et disciplinas etiam abstrusiores tradere: 2º. Movere intellectum mediate, quatenus nempe impressione phantasmatum, vel specierum excitatione aut remotione, vel objecti extrinseci admotione intellectum excitant: 3º. Voluntatem necessitare et ab intrinseco mutare non possunt, sed tantum indirecte, et ab extrinseco inclinare.

Prob. 1º. Quia vis hæc dependet plurimum ab humoribus, et organorum habitudine.

Prob. 2º. Quia cogitationes bonæ principaliter a Deo, malæ principaliter ab hominis voluntate mala et inordinate agente sunt, et non nisi instrumentaliter utraq; ab angelis vel bonis vel malis oriuntur.

Prob. 3º. Habetur a natura voluntatis ac liberi arbitrii, unde S. CYRILL.: *Liberum arbitrium habet anima, et potest diabolus incitare, cogere autem non potest;* et S. AUG. serm. 20. de diversis (al. 32. n. 11.): *Si diabolus aliquando aliquid suggerit, consentientem tenet, non cogit invitum.* Dein Prov. 21. 1. *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud;* ergo soli Deo hoc convenit. Postremum liquet ex dictis de appetitu et intellectu, quos sequi solet voluntas.

50. *Dico IV.* Angeli non possunt revera mutare hominem in bestiam, aut vicissim.

Prob. 1º. Quia juxta Philosophiam *generatio* est processio viventis a vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ; tale autem principium non est angelus.

2º. Anima bruti naturaliter impotens est eliciendi operationes hominis; ac præterea omnis anima saltem naturaliter aptum sibi et accommodatum corpus requirit, in quo sit et operetur; denique *corpus organicum* hominis non est accommodatum ad functiones animæ bruti, nec vicissim. Possunt tamen vel ipsi dæmones corpus v. g. lupinum ex aere assumere, vel eo humanum corpus circumdare, aut pellem lupinam sibi vel sagis injicere, aut hominum sensibus illudere, aut ipsam vim imaginatricem turbare, ut sic sagæ sibi videantur esse ejusmodi animalia, vel aliis appareant: hæc enim omnia non superant angelorum potentiam.

51. *Dico V.* Defunctorum animæ non possunt ope dæmonis ad nos evocari. *Prob.* Nec animæ in purgatorio aut cælo sunt sub potestate diaboli aut necromantæ, cum fas non sit credere Sanctorum animas, quæ in manu Dei sunt, alterius quam Dei potestati subjici: nec animæ damnatorum sine Dei nutu ex inferno egredi vel educi possunt, cum in eum locum tanquam, meritum suis sceleribus carcerem et pœnæ locum, sint a Deo detrusæ, quod per voces *divitis Epulonis* Luc. 16. 26. relatas confirmatur; unde quæ per necromantiam factæ narrantur mortuorum apparitiones, vel illusiones fuerunt, vel fallaces dæmonum ipsorum simulationes, vel mendacia a necromantis conficta.

Si ais: 1. Reg. 28. 14. Samuel Pythonissæ opera suscitatus apparuit Sauli.

R. Quamvis enim cum probabiliori admittatur, verum Samuelem ibi comparuisse, et non fuisse phantasma a dæmone assumptum, ut alii probabiliter tenent; tamen ab iisdem Auctoribus negatur, id a diabolo vel *Pythonissa* esse effectum: sed Deus suscitavit Samuelem, prævenitque magicas incantationes; unde etiam turbatam sagam ibidem legimus.

52. *Observa.* Angelus angelo loquitur, suos conceptus ad alterum dirigendo, ita ut, qui alias naturaliter secreti sunt, respectu illius desinant esse secreti, et sic ab illo, non vero ab aliis cognoscantur; et dum *clamare* ad invicem dicuntur; per hunc clamorem magnitudo rei vel affectus significatur. Angeli superiores *illuminant* inferiores, veritates divinas hic incognitas, a Deo vel alio angelo superiore acceptas, iis manifestando, plerumque in ordine ad eos dirigendos in suo ministerio. Angeli etiam hominibus *illuminant*, idque ex clarissimis Scripturæ textibus patet. De hac vero *locutione angelica* constat ex Scriptura Zach. 2. 4., Is. 6. 3., Apocal. 7. 2. etc. De eadem agunt SS. PP. DION., CHRYS. in 1. ad Cor. c. 13. v. 4., THEOPHYL. et THEODORET. ib., GREG. M. Moral. L. 2. c. 4. (al. 7.), DAMASC. de fide L. 2. c. 3. et alii: hanc ipsam deposcit perfecta societas, respublica et *Hierarchia spiritalis* angelorum, nihil ergo aut ira aut risu dignum in Theologo est, si eandem duobus prope verbis definiat.

CAPUT III.

DE GRATIA ET MERITO, PECCATO ET POENA ANGELORUM.

ARTICULUS I.

DE GRATIA ET MERITO ANGELORUM.

53. *Nota.* Triplex a Theologis solet discerni status angelorum, *Creationis, Perseverantiæ, Defectionis.* Via angelorum dicitur illa temporis mora, quæ fluxit ab eorum creatione usque ad beatitudinem et damnationem malorum. Instans aliud physicum est, v. g. momentum temporis: aliud angelicum,

quod non est indivisibile punctum temporis nostri, sed una invariata unius operationis angelicæ duratio usque ad aliam a priore diversam; et horum tria statuunt Theologi pro via angelorum, ita ut *primum instans angelicum* sit actus congruè meritorius, et status primæ gratiæ habitualis: *secundum* sit actualis inter eos diversitas operationum et pugna, dum boni condigne merebantur augmentum gratiæ et gloriam, mali per peccatum excidebant a gratia sanctificante: *tertium* spectet ad terminum, et designet in illis beatitudinis, in his damnationis initia: atque id indicant verba Ezech. 28. 15. *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Neque operatio una hic ita stricte sumitur, ut ab ea dividatur prævia cognitio, deliberatio et alia operationem ipsam ordinariè præcedentia vel consequentia. Questio autem duplex est: 1°. An omnes angeli aliquando in via fuerint in statu gratiæ sanctificantis? 2°. An et quando angeli gloriam meriti sint?

54. *Dico I.* Angeli omnes in via aliquando fuerunt in statu gratiæ sanctificantis: ita D. THOMAS q. 62. a. 3. et Theologi fere omnes.

Prob. Ex Ezech. 28. 15. supra cit., ubi Lucifer sub typo Regis Tyri dicitur *perfectus in viis suis, donec inventa sit iniquitas* in eo. Judæ v. 6. dicuntur angeli mali *non servasse suum principatum.* Joann. 8. 44. dicitur diabolus *in veritate non stetit.* Idipsum docent SS. Patres BASIL. in Psal. 32. n. 4. (opp. t. 1. p. 136. A.) et epist. 141. (al. 8. n. 10.), AUG. L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. et L. 11. c. 41., etc.

Conf. Adam statim in sua creatione accepit gratiam sanctificantem, quæ includitur in justitia originali: nam Deus *fecit hominem rectum.* Eccl. 7. 30. et TRID. Sess. 5. dicit, Adamum per peccatum justitiam et sanctitatem perdidisse, in qua fuerat constitutus; ergo probabilius etiam angeli gratiam tum acceperunt: non enim videtur Deus erga creaturas nobiliores fuisse in prima creatione parior, quam erga homines.

55. *Dico II.* Angeli sancti gloriam meriti sunt, et antequam illam acceperint.

Prob. 1°. p. S. AUG. L. de Corr. et Grat. c. 11. n. 32. sic ait: *Quia noluit Adam permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, et hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros.* Idem sentit D. THOM. 1. q. 62. a. 4. et Theologi omnes.

Prob. 2°. p. Ab eodem consensu Theologorum.

Conf. Ex D. THOM., quia meritum habet rationem viæ ad finem; ei autem, qui jam est in termino, non convenit moveri ad terminum; et sic etiam nullus meretur, quod jam habet. Adhæc dilectio Dei non potest simul informari gratia imperfecta, quæ est principium meriti, et gratia consummata, quæ est principium fruitionis. Demum repugnat tum ratione meriti, tum ratione potentiæ proximæ peccandi, esse in eodem instanti meritum cum potentia peccandi, et simul beatitudinem.